

Π u

23

M. 2, 767.

L. M. II. 770.

2.	H.	773
3	H	773
4	H	773.



ORATIO

DE DVCE SAXONIAE
FRIDERICO ELECTORE

À D. IOHANNE TRVTENBVL

Doctore Iuris, In renunciatioz

ne gradus sex Doctoꝝ

rum Iuris:

IOHANNIS SCHNEIDEVVEIN

CHRISTOPHORI TRVTENBVL

STEPHANI CLODI

ANTONII FREVDEMAN

VLRICI SITZINGERI

ANDREAE VVOLFII

Recitata XIX. die Februarij

Anno 1551.

VVITEBERGAE.



GRATIO

IN DEUS

DOCTOR

IN THEO

LOGIA

JOHANNES SCHNEIDER

CHRISTOPH

STERN

ALTON

1711

ANDREAS

ROBERT

1711

WITTEBERG



ORATIO

DE DVCE SAXONIAE
FRIDERICO ELE
CTORE.



NA EST IN SVM-
mis doloribus con-
solatio, vnicus por-
tus, mente intueri
testimonia de Deo,
& firma assensione
statuere, esse aliquã
Dei Ecclesiam, & nos in ea Deo curæ
esse, & propter eam seruari hospitia, li-
teras, disciplinam, leges, & alios ner-
uos humanæ societatis. Hac nos con-
solatione inter tantas imperiorum rui-
nas, sustentemus, & hac spe doctrinam
vitæ vtilem propagemus, nec ideo, quia
in hac vitæ confusione multa contra or-
dinem fiunt, excuti nobis assensionem
de prouidentia diuina sinamus, sed v-
traq; manu, vt sic dicam, teneamus ill-

A 2 lustria

lustria & immota de Deo testimonia,
hunc ipsum ordinem naturæ pulcher-
rimum, figuram & positum cœli, aëris,
aquæ, terræ, syderum motus, terræ fer-
cunditatem, & in mente humana, no-
ticias, quæ sunt artium semina, & hoc
ipsum discrimen honestorum & turpi-
um, ex quo leges nostræ sapienter ex-
tractæ sunt, & pœnas quæ perpetuo
ordine comitantur atrociora scelera, vt &
præsentia & iusticia Dei in genere hu-
mano signa sint non fallentia. Præcipue
vero confirment assensionem in nobis
Resuscitatio mortuorum, & alia testi-
monia Ecclesiæ nota, & vera lux diui-
na in nostris pectoribus à Deo accen-
sa. Itaq; confirmati vera Dei agnitio-
ne, ipsi obediamus, & speremus eum
reliquias Ecclesiæ suæ in tantis fluctibus
tamen seruaturum esse, & vt seruet, ar-
dentibus eum votis oremus. Huic ve-
rò DEO patri æterno Domini nos-
tri IESU CHRISTI, conditori gene-
ris humani & Ecclesiæ suæ, gratias ago,
quod

quòd hactenus hanc Academiam cle-
menter seruauit, & vt eam deinceps
seruet & regat, toto pectore eum oro.

Cum autem vsitatum sit in his con-
gressibus, vel de aliqua doctrinarum
parte dicere, vel exempla digna memo-
ria recitare, delegi historiam Ducis
Saxoniae FRIDERICI Electoris, qui
in hoc oppido Academiam constituit,
de cuius fratre cum nuper dictum esset,
iudicauí fratris historiam addendam es-
se, quæ etiam multa exempla cognitio-
ne digna continet. Et significatio quæ-
dam gratitudinis est, libenter eius prin-
cipis recordari, qui primus hic omnium
doctrinarum studia excitauit. Vtile est
etiam posteris requirentibus exordia
emendationis doctrinæ Ecclesiasticæ,
scire, an tantum sediciose in vulgo se-
mina sparsa sint, an vero etiam accesser-
rit aliquorum sapientum tum conside-
ratio tum adprobatio. Libentius etiam
de hoc ipso principe nunc dico, cum

A 3

Dei

Dei beneficio vno tempore sex doctissimis viris publicum testimonium scientiæ iuris tribuo, quia scimus hunc principem sæpe sua voce barbariem, arrogantiam & stulticiam eorum taxasse, qui sine scripto iure, potentum arbitris regi homines, & iudicari controuersias volunt, & cui perinde vt Augusto Trebatius, Alexandro Seuero Vlpianus, familiarissimi fuerunt Iurisconsulti, quorum hac ætate in his regionibus summa fuit eruditio & eloquentia, Doctor Mogenhofer, Doctor Henningus, Doctor Hieronymus Schurff, Doctor Pontanus. Cum his tantis viris de maximis rebus eum deliberasse, ipsorum scripta & alia monumenta ostendunt. Ac horum familiaritas non obscura significatio est sapientiæ & iusticiæ in ipso principe. Verissimum est enim, Talem quencq; esse, qualium delectatur consuetudine.

oscilum
x. p. v.

Etsi autem vetustæ nobilitatis Ducum

cum

cum Saxoniae commemoratio non el-
set iniucunda, Multa enim exempla v-
tilia continet : tamen eam nunc propter
temporis angustiam praetermittam.

Scitis Ernesto patre, principe inte-
gerrimo, & matre nata in familia Du-
cum Bauariae Fridericum & Iohannem
natos esse, qui cum & à parentibus se-
mina virtutum accepissent, & domesti-
ca disciplina seuerè regerentur, vtriusq;
adolescentia modesta fuit. Fridericus
vero literas & linguam latinam celeri-
us arripiebat, & doctrinae avidior erat,
vt & stellarum positus, Gemini in ho-
roscopo, & Iupiter ac Mercurius in Ca-
pricornio, ingenium doctrinae capax &
ardentius studium significant. Pater
ante senectam extinctus est morbo,
quem laboris assiduitas auxit, cum ex-
ercitum colligeret ad harum regionum
defensionem aduersus copias Hunga-
ricas, missas in hanc viciniam à Rege
Matthia, qui Duci Saxoniae Alberto

A 4 infestior



iufestior erat, quòd in Austria exercitū
aduersus eū duxerat. Erant Ernesti filij
adolescentes, sed anteibat ætate Fride-
ricus iam ingressus annum alterum &
vicesimum. Hic suscepta gubernatio-
ne, cum & sapientum consilijs vteretur,
& deliberata singulari industria perfici-
ceret, nec ignauia aut voluptatibus à
cura belli abduceretur, & coniunctio-
nem cum vicinis principibus omni of-
ficio tueretur, fœliciter defendit patri-
am, & vicinos in profligando Hunga-
rico exercitu adiuuit.

Hoc primum quasi tyrocinium fu-
it, in quo specimen ingenij & industriæ
non obscurum ostendit.

Postea hac Germaniæ ora pacata,
cum existimaret peregrinatione erudi-
ri homines, vna cum auunculo Duce
Bauariæ Christophoro, viro magnani-
mo, profectus est in Palestinam, In eo
itinere Fridericū Imperatorem, auun-
culum magnum, in oppido Austriæ
Lyncea

Lyncea salutauit, à quo & propter cog-
nationem & propter beneuolentiam
erga duces Saxoniae, amanter exceptus
est, cumq; sagacissimus senex videret in-
dolem in Friderico ad virtutem eximi-
am esse, saepe eum in colloquium voca-
uit, & ad decus hortatus est, & abeun-
di dedit *μνημόσων* torquem aureum
grandi Adamante ornatum, iubens vt
reuerfus, ad se in itinere deflecteret, ac
promittens aliud splendidius donum.
Ita dimittitur adolescens à sene Impe-
ratore, cum simili preconio, vt Telema-
chus à Nestore dimittitur;

Non expeis uirtutis eris carissime fili.

Sed optimus senex ante reditum
Ducis Friderici ex hac vita decessit. Hic
inferenda esset historia peregrinationis
longior, quàm honorifice à senatu Ve-
neto Fridericus exceptus sit, quæ fue-
rint vitae pericula. Nam dux Bauariae
Christophorus in eo itinere, morbo ex-
tinctus est. Sed ad alia propero.

A 5

Verum

Verum hæc diligentia singulari laude digna est, quod non sibi tantum illam regionis & locorum inspectionem, sed ceteris etiam in lectione historiarum prodesse voluit. Tabulas eleganter pingi curavit, in quibus illa veterum oppidorum ἐρείπια, distributa sunt, & additæ inscriptiones rerum magnarum, quæ in singulis locis actæ sunt. Hæc fuit olim sapientum cōsuetudo, ex peregrinationibus adferre, non figuram nouam pilei, aut cristæ, sed regionum picturas, & monumenta ad cognitionem historiarum profutura, & remedia morborum. Talia multa Fridericus ex Palestina, Cypro, Rhodo, Methone, Corcyra, & ex vrbe Veneta attulit.

Post reditum secuta sunt in Germania bella, Helueticum & Bauaricum, in quibus non defuit ipse quidem Maximiliano. Sed tamen bello Bauarico propter Electorum coniunctionem plus curæ & laborum sustinuit in lenienda
Maximis

Maximiliani ira, & eo vtcunq; placato,
vnicus in conuentu Coloniensi ausus
est Palatinum ad Maximilianum addu-
cere, vt supplex pacē peteret, qua in re
non nihil offendisse Imperatoris animū
dicebatur, quòd hosti ipsius non vehe-
mentius irasci visus esset. Sed fuit ho-
nestissima causa consilij Friderici. Co-
gitabat, quę sit Electorum necessitudo.
nec voluit penitus dilacerari illam ve-
tustissimam Electoris ditionem, & fa-
miliam nobilissimam deleri. Deinde
hoc officium tegendi amici ita mode-
ratus est, ne de Domini autoritate aliz
quid decerperetur, Supplicem esse vo-
luit. Est autem vetus illud: Parcens
dum esse supplici:

Non uiolandus erit supplex, sacer esse putetur.

Cum autem iam ornare patriam æ-
dificijs cepisset, sciretq; vera & maiora
communis vitæ ornamenta esse litera-
rum & artium propagationem, Leges,
& disciplinam; Doctores omnium ho-
nestarum

nestarum artium ex alijs Academijs in
hoc oppidum accersuit, & hæc nostra
collegia vsitatis legibus instituit, qua in
re cõsilium & voluntatem eius proba-
re necesse est. Suntq; passim multi bo-
ni & docti viri, qui fatentur, se artes vi-
tæ vtilis in hoc literatorum conuentu
didicisse, alijs Philosophiam, alijs Iuris do-
ctrinam, alijs artem medicam, de Eccle-
siae doctrina postea dicam. Nam post
exordia Scholæ bellum Venetũ secu-
tum est, quo tempore annos aliquot a
patria Fridericus abfuit, cum partem
copiarum in exercitu Maximiliani du-
ceret. Fuit ea militiã plena laborum &
periculorum, non solum in castris, sed
etiam in deliberationibus, in quibus,
vt sunt in aulis factiones & certamina,
maleuoli varijs modis ei insidiati sunt.
Legimus ipsi manu Friderici annotata
capita responsionum, in quibus refuta-
bat calumnias venenatas, quibus Maxi-
miliani animũ aduersus eum incendere
quidã conati fuerant. In his tantis peri-
culis

culis cum de rebus maximis instillatae
essent Maximiliano crudelissimae suspi-
ciones, prudentiam ipsius & integritate-
tem ac moderationem & Maximilia-
nus ipse & caeteri detectis insidijs, mag-
nopere probauerunt. Etsi autem sauz-
ciatus erat Maximiliani animus, tamen
non tam rudis erat communis vitae, vt
ignoraret pestes communes esse in omni
gubernatione, Inuidiam, & calumnias,
& viderat ipse multa exempla, & audie-
rat vetera, Palamedem artificijs Vlyse-
is oppressum esse, Themistoclem op-
time meritum à Leobote. Legerat etis-
am dictum Salomonis: Calumnia etis-
am sapientes turbat, & frangit robur
cordis. Et vt erat iustus, memor erat
dicti, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροῦσθαι. Et audie-
rat Alexandrum alteram aurem obstrue-
re, cum quispiam absens accusabatur.
Quare diligenter inquisiuit negocij
fontes, & cognita vanitate calumnias-
rum, maiore beneuolentia Fridericum
complexus est.

Invidia

Alexand.

Cum

Cum autem domum reuersus esset,
Canonici Moguntini Erfordiae mag-
nos tumultus excitarunt, qui nisi pru-
dentia & moderatione Friderici re-
pressi essent, ingens bellum in his regi-
onibus exarsisset. Cum esset amans
iusticiae, modestiae, & publicae in Ger-
mania tranquillitatis, neminem irrita-
bat ipse, & iniurias multas ferebat. Cū
vero alij ei minitabantur, ea erat sapi-
entia & constantia, vt cœcos illorum
impetus paulatim arte frangeret, Sæpe
illud ipsum vetus dictum vsurpans:
Multos magnos morbos, quiete & ab-
stinencia curari.

Sed venio ad causam Ecclesie. Cum
motæ essent controuersia de doctrina,
primum Maximilianus, deinde Caro-
lus, Romani Pontifices contenderunt,
ne Luthero docendi locum cōcederet.
Et erant alij multi, qui eadem suade-
bant. Nec ipsi, cum & sapientia excel-
leret, & iam senex vsu cognouisset om-
nia gubernationum pericula, præcepta
de vi-

de vitandis mutationibus ignota erant.

Sed vir sapiens & vera pietate Deum colens, sciebat omnibus publicis & priuatis periculis anteferendā esse gloriam Dei. Sciebat horrendam & insanabilem blasphemiam esse, agnitæ veritati aduersari.

Et confirmabatur diuinitus, quare nullis minis ac terroribus frangi potuit, vt veritati aduersaretur. Nec tamen sibi ipsi tantum sumebat, vt solus iudicaret de doctrina, Sed multorum senum & eruditorum, & quidem principum iudicia sciscitatus est. Possem nominare multos, sed de Erasmo dicam, Coloniae eum ad se accersiuit, & amanter præfatus est, hanc esse causam, cur eum accersiuerit. Postq̃ controuersia motæ sint, se malle, vt sibi dehiscat terra, quàm falsis opinionibus fauere. Sed si Lutherus recte taxet errores, & monstret veræ doctrinae fontes, se, etiamsi videat, quantum sibi & suis sit periculi, ta-

li, tamen non aduersaturum esse veritati. Nec se iudicium sibi vni sumere, sed eruditorum & peritorum iudicia & inquirere, & libenter secuturum esse. Rogabat igitur, vt Erasmus liberrime suam sententiam de tota re diceret.

Erasmus

Erasmus, vt erat festiuus, ab ironia exorsus: duo magna esse Lutheri peccata, inquit, q̄ ventres Monachorum & coronam Pape attigisset. Postea per texuit suam sententiam, & dixit, Lutherum iuste taxare errores, & eorum emendationem Ecclesie necessariam esse. Addidit etiam summam doctrinae Lutheri veram esse, etiamsi optarit quaedam disputari minus horride. Hæc fuit colloquii summa. Viderunt aliqui nostrum & literas sapientis & boni principis, Laurentij Episcopi Vuirceburgensis, qui eadem ad ducem Fridericum scripsit, & addidit se multorum eruditorum iudicia explorasse. Non igitur existimandum est senem virum

virum sapientissimum in tanta causa
vel errore vel temeritate propagatio-
nem doctrinae permisisse. Et quidem
legebat ipse quotidie scripta tum Lu-
theri, tum Erasmi praecipua, & fontes
summa iudicii grauitate considerabat.

Incidit aetas Friderici in duarum sum-
marum rerum deliberatione, de Eccle-
siarum emendatione, & de electione
Imperatoris. Etsi autem harum duarum
rerum magnitudinem nullorum ange-
lorum aut hominum sapientia satis per-
spicit, tamen non ferri homines agno-
scunt has res in hominum vita esse sum-
mas. Et quod quisque est cordatior, eo
magis sentit deliberationem de eis dif-
ficilem esse. Haec tanta moles eodem
tempore in hunc unum virum incu-
buit. Hic nihil exaggero, cum quidem
toto corpore cohorrescam procul aspi-
ciens eum tanta onera sustentem.
Sed cum Ecclesiae tum Imperii guber-
natio diuina est, Et flectit Deus men-
tes.

B tes.

res gubernatorum ad salutaria consilia,
& eos adiuuat, cum vult Ecclesiae &
humano generi opem ferre. Ita & tunc
Friderici pectus in vtraque deliberatione
diuinitus & regebatur & confirmaba-
tur.

Et scimus fuisse minime arrogan-
tem, maximeque diffidentem suae sapi-
entiae, & in his tantis periculis assidua
inuocatione à Deo auxilium petiuisse,
& summorum hominum iudicia scisci-
tatum esse. Etsi autem Electionis hi-
storia magnam consiliorum & actio-
num varietatem continet, Nam & sa-
pientum diuersae erant opiniones, vt
iam non de factionibus & studijs di-
cam, & integrè notam esse posteritati
prodesset, tamen bono consilio nunc
multa praetereo, tantum hoc dico, Fri-
dericum tanquam Nestorem in eo senatu
tunc fuisse, & ab eo plurima sapienter
acta & prouisa esse, Deo ita pectus eius
gubernante,

Nestor

Sciebat

Sciebat diuersas esse principum o-
piniones, & videbat dissensionem Ele-
ctorum, nisi vnus communi omnium
consensu eligeretur, facem maximorū
bellorum futuram esse. Videbat quis-
bus partibus quæ vires accessurę essent.

Nouo igitur consilio vsus est. Fuit
suasor vt primum singuli Electores iur-
ramenti religione in hoc suo consensu
obligarentur, se nullam electionem
adprobaturos aut renunciaturos esse,
donec omnium suffragiis vnus aliquis
communi consensu electus esset, cui se
omnes vni adiungerent, tanq̃ legitimo
Domino, ne ipsorum dissimili suffra-
gatione Germania distraheretur.

Hoc fuit Friderici πολιτευμα, in quo
lucent eius sapientia, studium publicę
concordiæ, & alię multę virtutes. Et
fortassis posteritas hoc exemplum in-
tuebitur.

Secutę sunt postea disputationes,
vt inter sapientes & in summo senatu

B 2 generis

generis humani grauiſſimæ, in quibus tandem communi omnium conſenſu Carolus electus eſt, & metu horribiliſſimo diſcordiarum, & ingentium belloꝝ Germaniã liberata eſt.

In hiſ ipſiſ contentionibus norunt adhuc multi non ſolum vigilantiam Friderici, ſed etiam moderationem animi, & conſtantiam in optima ſententia excellentem fuiſſe, in qua eiꝯ animus alieniſſimus fuit ab ambitione, & ab omnibus priuatiſ cupiditatibus, ac tantum ſalutem germaniæ publicam ſpectauit. Poſtea etiam cum in Germaniam veniſſet Carolus, vt pax & concordia principum conſtitueretur, magnos labores ſuſtinuit, quibus & corporiſ vires in eo languefactæ ſunt.

Nec leue curarum & ſollicitudinum iudicium fuerunt morbi ipſiꝯ. Eſt enim calculi ſæuicia orti à renibus extinctus eſt, tamen & dolores Hypochondri-

driꝯ

drios magnos habuit, quare Medici
postea splenem contemplati lapidem
in ipso splene inuenerunt maiorē glan-
de.

Vt autem hæc ipsius senectus plena
fuit curarum & laborum propter Ec-
clesiam, & huius germanici Imperij ne-
gocia multa & magna, ita domestica
vita fuit plena honestorum exemplo-
rum. In aula adsidui aderant viri ex-
cellentes sapientia & virtute Fabianus
à Feilitzsch, Fridericus à Thun, Einside-
lius, Iohannes à Minckuuitz, Ponta-
nus, Sæpe & Hieronymus Schurff &
alii accersebantur. Eratq; consilium ta-
le, quod magno regno fuisset ornamen-
to. Cum his viris familiaria erant collo-
quia, de religione & de Republica, ple-
na prudentiæ, & eruditionis, & con-
dita suauitate summa.

Erant enim in Friderico cum aliæ
virtutes multæ ac magnæ, prudentia
quam etiam literis & colloquijs sapien-

B 3 tum ale

tum alebat, Iusticia, amor veritatis, fides in pactis, constantia in bonis sententijs, beneficentia, tum vero etiam singularis moderatio & comitas, qualem in Lelio, & in Augusto prædicant.

Ac vt vetus scriptor inquit de gratia, quæ actiones humanas omnes eximie ornat ἢ πάντα τὰ ἀνδρώπινα ἐπικοσμοῦσα χάρις, hanc suauitatem omnibus sermonibus atq; actionibus miscebat, quam etiam eruditio augebat. Cura uerat enim sibi perscribi Epitomen historiæ, in qua series erat omnium temporum & Monarchiarum, quam ita in conspectu habebat, vt in grauissimis deliberationibus sæpe inde exempla recitaret. Nec raro dicebat se non tantum voluptatis causa historias legere, sed sumere inde de multis rebus comonestaciones, & cognitionem earum necessariam esse non solum gubernatoribus, sed etiam cæteris hominibus omnibus.

Vidimus

Vidimus ipsi manu eius scriptas sententias in paruis pagellis quas adfixerat parietibus, vt in conspectu essent, de animi moderatione, videlicet hoc Senecæ dictum: NIHIL MAGNUM QVOD NON EST PLACIDVM. Et hoc Plutarchi: Vt Sol cum venit in summum *Simile* fastigium tardius incedit, ita in summa potestate contantius & moderatius omnia agenda esse.

Sciebat nihil tam esse homini familiare, quàm hallucinari & errare. Ideò normam consiliorum volebat esse præcipuè legem Dei, deinde & aliarum legum vocem quæ sapientum gubernatorum iudicio receptæ sunt, & eos qui suas opiniones nimium amabant, non probabat. Valde igitur & hac sententia delectabatur, cum forte eam in Plutarchi scripto legisset, quæ tribuitur Simonidi, Opinio vim adfert veritati, *AD*
ἡ δὲ δοκῆν βιάζεται πλὴν ἀλήθειας.

Nec rudis erat doctrinæ de motibus cœlestibus, cuius didicerat elementa à

B 4 Medico

Medico Mellerstadio, qui ei inde usque
ab adolescentia ad senectam familiaris-
simus fuit, & comes fuerat peregrina-
tionis in Palestinam.

Scitis veteribus Regibus & Ducibus
usitatum studium fuisse artis Medi-
cæ, ut de Chirone, Achille, Alexandro
legimus. Ita & Fridericus studiose di-
dicit à doctissimis viris Mellerstadio, &
Pistorio, artis Medicæ fontes, causas
morborum & remedia. Multa etiam
experimenta à Maximiliano & eius
Medicis accepit. Itaque quotannis mul-
ta remedia sua manu adparabat, cumque
virtutem principe dignam esse sciret
hominum salutis opem ferre, officiose
dabat remedia nobilibus & ignobilibus.
Vulnera & tabefacta membra sin-
gulari felicitate curabat, quarum me-
dicationum insignia exempla recitare
possemus.

Postremis vero annis, cum rursus
Euangelium illucesceret his regionibus,
quantum temporis suffurari negociis
gubernas

gubernationis poterat, id lectioni di-
uinorum librorum & piarum enarra-
tionum tribuebat, quibus & erudire se
& ad veram inuocationem accendi ad-
firmabat. Ac sæpe in familiaribus ser-
monibus tenebras Ecclesiæ deplora-
bat, adeoq; dextrè dijudicabat doctrin-
narum genera, vt adpareret seriò eum
intendere mentem in harum maximarum
rerum considerationem.

Cumq; natura grauis & paucilo-
quus esset, & parum ei concederet va-
cui temporis Respub. nequaq; delecta-
batur curiosis & inutilibus disputatio-
nibus, in quibus videbat multos ambi-
ciose ingenia ostentare, Sed doctrinam
vitæ salutarem quærebat, eamq; ad vs-
um in inuocatione & in vitæ guberna-
tione transferebat.

Et materias electas in optimis scri-
ptis describi sibi curabat, vt eas sæpe
relegeret, quod quidem faciebat in
templo, vbi concionibus auditis arden-
tia vota & gemitus pro sese, pro tota

B 5

Ecclesia,

Ecclesia, pro patria, pro Germaniæ salute, lectioni miscebat, Fratri etiam & Consiliaris eadem scripta commendabat.

In Iurisdictione vero etsi iniustam asperitatem oderat, tamen nequaquam lenis erat. Latrocinia adeo seuerè puniuit, vt sumpsit supplicia etiam de quibusdam, qui in familijs nobilibus & amplis nati fuerunt. Non metus, non gratia, non cupiditas vlla eum inflexit, vt contra iusticiam faceret.

Controuersias quæ in aulam adferrebantur magna sedulitate cognoscebat, & re disputata cum eruditis sapienter dirimebat, & in compositionum formulis magna cura vitabat ambigüe dicta & cothurnos, dicens inde inflammarî & lites & odia, non extinguî.

Cumque natura modum in rebus omnibus amaret, profusiones oderat, & frequentiam aulicam prudenter moderabatur,

rabatur. Interea tamen erga homines modestos & egentes beneficiam nec sordide nec ambitiose exercebat, sed prudenter videbat, ubi egentium utilitati vere consulere. Denique in omnibus negocijs bonitatem sapientia regebat, ne aut asperitate, aut lenitate peccaret.

Eratque tota eius gubernatio exemplum dicti huius quod valde laudat antiquitas: ὡς ἡδὺ σωέσθαι θεοῦ καὶ κεντραμύκ. qualis Arati, Augusti & paucorum similium gubernatio fuit.

Iram summa cura frenabat, ac quando indignationum flammam sensit, secessum quaesivit, nec decrevit quidquam donec illa incendia deflagassent, ac sepe recitabat dictum: Ira viri iusticiam Dei non operatur.

Aduersus vindictae cupiditatem primum Dei reuerentia, deinde amore publicae tranquillitatis, postremo & naturae bonitate munitus erat, ac recitabat interdum vetera & recentia bella orta
ex pri

ex priuatis odijs & cæca vindictæ cupi-
ditate, sine iustis causis, & sepe pri-
uatas iniurias publicæ paci cōdonandas
esse adfirmabat. Laudabat Fabium, &
versum recitabat:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ab ambitione vero alienissimus fuit,
quam nihil nisi insaniam esse palam
dicebat, Videbat quanta moles sit eti-
am exiguæ gubernationis, & quanta sit
infirmitas humanæ mentis, quàm subitæ
conuersiones fortunæ, quàm infidæ
hominum voluntates, sine quorum
societate res magnæ geri non possunt.
Laudabat illud dictum: Spartam na-
ctus es, Hanc orna. Et Paulum dice-
bat non solum Euangelij preconem
excellentem fuisse, sed etiam sapientem
monitorem politicum, qui præcipit
studium quietis, & vt propria quisq;
faciat.

Etsi autem post Caroli electionem
vixit annos ferè sex, tamen periculosis
morbis aliquoties conflictatus est. Sta-
tim à

Paulus

tim à Francofordiano conuentu tota
hyeme tam saeuo morbo laborauit, vt
existimaretur venenum hausisse, Sed
quæcunq; morbi causa fuit, venenatus
humor depulsus in pedes ita eum affli-
xit, vt planta cutem abiecerit, & crudæ
carni similis facta sit. Cruciatu fuisse
non leues inde iudicari potest quod di-
cebat ipse, Se nulli inimicorū suorum
ita irasci, vt optet eum similes cruciatu
sustinere. Postq; vtcunq; conualuit, sta-
tim noua itinera, & deliberationes de
Imperio secutæ sunt, Ita paulatim labo-
ribus, curis & morbis languefacto cor-
pore, tandem Lithiasi extinctus est.

Cumq; mens vsq; ad extremum ha-
situm integra esset, & fide ac inuocati-
one filij dei Domini nostri IESU CHRI-
STI erecta, placide cruciatu ferebat,
& eternam Ecclesiam intuens non gra-
uatim ex huius vitæ ærumnis discede-
bat. Iusserat Spalatinum grandiusculis
litteris scribere has sententias; Sic Deus
dilexit

dilexit mundum, vt filium vnigenitum
dederit, Item: Hæc est voluntas Pa-
tris, vt omnis qui credit in Filium, hæ-
beat vitam æternam &c. Ad hæc dicta
Spalatinus & alia quædam addidit.
Hanc paginam tabellæ ita adfixit, vt
semper eam in conspectu haberet, &
veniam suorum delictorū à Deo pro-
pter filium adsidue petiuit, & fiducia fi-
lij Dei erigi se sensit. Cumq; & iuxta
vocem Euangelij absolutionē audiuis-
set, & cœna Dominica confirmatus es-
set, cōfessionem plenam pietatis edidit.
Credo inquit toto pectore, colligi æter-
nam Ecclesiam à Deo in genere huma-
no propter filium, & vere esse membra
Ecclesiæ Dei omnes qui amplectuntur
vocem Euangelij, & filium Dei Domi-
nū nostrum Iesum Christum agnoscunt
iuxta doctrinam in Prophetarum & A-
postolorū scriptis, & in Symbolis com-
prehensam, & Deum fiducia filij inuo-
cant. Et opiniones quascunq; pugnan-
tes cum Euangelio & Symbolis con-
stanter

stanter reiſcio, reiſcio & errores qui tax
antur in Eccleſijs huius ditionis cui me
praefeciſti, & tibi aeternae Deus Pater
Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te im-
menſa bonitate patefecisti, conditor coeli
& terrae & hominum et Eccleſiae tuae, v-
na cum filio tuo Domino noſtro Ieſu
Chriſto, & Spiritu ſancto, ſapiens, bone,
verax, iuſte, iudex, caſte, liberrime, mi-
ſericors, gratias ago q̄ te humano ge-
neri patefecisti, quod filium miſiſti, &
Eccleſiam tibi colligis, quod me ad Ec-
cleſiae tuae ſocietatem vocaſti, quod me
& patriam clementer protexiſti, teq̄ ſup-
plex oro, vt propter filium tuum Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem
inenarrabili conſilio Mediatorem con-
ſtituiſti, peccata mea omnia mihi remit-
tas, & me propter eum, Spiritu ſancto
ad vitam aeternam ſanctifices, Tibi me
& Eccleſiam, & meum fratrem & patriam
comendo. Et exaudiri a te haec mea
vota, & meos gemitus propter filium
credo, qui dixit: Quidquid petieritis
patrem

patrem in nomine meo dabit vobis. O
Iesu Christe fili Dei crucifixe pro nobis
& resuscitate, Mediator, qui dixisti
Nemo rapiet oves meas ex manibus
meis, me tibi commendo, Tu p̄ me in-
tercedito apud æternum patrem, tu sis
vmbra culum aduersus iram, tu mihi
adepto, & me sanctifica Spiritu tuo san-
cto. Et exaudiri me à te credo, quia dix-
isti, Venite ad me omnes qui laboratis
& onerati estis, Ego reficiam vos.

Hanc inuocationem cum sæpe re-
peteret clara voce per aliquot dies, ad-
stantibus multis præstantibus viris, tan-
dem Deus animam eius ex ruinoso
domicilio eduxit. Cum igitur & mul-
ta magnæ virtutes Friderici fuerint, &
eius gubernatio Ecclesiæ & patriæ sa-
lutaris fuerit, & vera inuocatione Deū
coluerit ipse, & in exitu ex hac mortali
vita se filio Dei commendauerit, pri-
mum Deo gratias agamus, quòd prin-
cipem his regionibus salutarem dedit,
& quòd

& quòd ipsius pectus ad veram pietatem accendit. Et virtutes has admiremur, & labores ipsius grati prædicemus, ac vult Deus his quoq; per quos beneficia impertit, gratitudinem præstari.

Et quanq; alia exempla alijs conueniunt, nec vires nostræ imitari excellentes imagines possunt, tamen multæ sūt virtutes quæ communes omnium esse debent, quarum consideratio singulis ad commonefactionem prodest. Ideò diuino consilio historiæ literis mandata sunt, imò ideò spectacula tristia & læta Deus proponit omnibus temporibus, vt sint cōmonefactiones vniuerso generi humano. Quare & hanc Friderici historiam interdum cogitemus.

Multa hic & de eius Testamento narrari poterant, in quo etiam multa signa sapientiæ, reuerentiæ erga Deum, amoris erga fratrem, & pietatis erga patriam conspiciébantur.

C Initio

Initio fidei suæ confessionem recitat congruentem cum illa inuocatione quam ante mortem sæpe clara voce repetiuit. Et addit precationem Deinde fratri tradit gubernationem, & nominatim ei commendat Ecclesias, eumque hortatur vt gloriam Dei illustrari, & populum recte doceri curet, nec dubitet filium Dei has ipsas Ecclesias in quibus vox Euangelij sonat incorrupta, protecturum esse.

Prohibet & ritus funebres improbatos in his Ecclesiis. Sed pauperum iubet rationem haberi, quibus & tunc in funere dari certam pecuniam & vestes mandat. Et addit aliud munus utile sine ostentatione. Anno ante mortem ipsius proximo, videlicet anno vt numeramus 1524. mense Februario fuerant diri congressus omnium Planetarum in Piscibus. Cum igitur vbique flumina intumescerent & in agros effunderentur, segetes stranguæ sunt. Semper autem ad vsum publicum

publicum habebat iuſtructa granaria
Fridericus. Inde cum frumentum po-
pulo deeflet, certum numerum Me-
dimnorum precio mediocri vendi iuſ-
ſit. Agricolis vero frumentum ad fa-
milias alendas, & ad ſerendum, dari
mutuo iuſſit ea conditione, vt poſt alte-
ram meſſem redderent tantundem fru-
menti. Id in teſtamento, cum eſſent
tria aut quatuor millia Medimnorum,
ijs qui mutuo ſumpſerant, donauit, &
repeti vetuit.

Talibus beneficijs & antea pater-
nam & non fucatam beneuolentiam
erga ſuos crebro declarauerat, in qui-
bus utilitati populi conſulebat, non am-
bitioſe offundebat hominum oculis in-
anem ſpeciem magnificentiae, vt fit in
ſpectaculis, aut ſumptuoſis conuiujs.

Hanc breuem hiftoriam FRIDE-
RICI eò recitauí, quia prodeſt & exem-
pla bonorum príncipum, & conſilia re-
rum maximarũ multis nota eſſe. Que-
dam etiam gratitudinis ſignificatio eſt

C ij delectari

delectari bene meritorum recordatione, de quorum sapientia, moderatione, bonitate, & voluntate erga patriam, ut sæpius cogitemus, mouemur etiam horum temporum calamitatibus, quas velut presagens Fridericus, postremis annis non rarò delabebatur in sermones de Regnorum periodis, & gemens deplorabat infirmitatem naturæ humanæ, quæ & fatalibus causis obnoxia est mutationibus, & multis magnis furoribus accersit pœnas. Repetebat ex historiis seriem temporum, narrans, quàm breuis aut longa ætas cuiusq; regni ac familiæ fuisset, nec vsquam ultra quingentos annos eandem mansisse politiæ formam.

Anni sunt ferè quingenti ab exitu ex Aegypto ad Salomonem, Totidem ferè à Salomone ad exilium Babilonicum. Inde totidem & paulò amplius ad vltimum Ierosolymæ excidium.

Ad hæc exempla conferebat mutationes Romanas, & hæc præsentia
Regna

Regna. Othonis tertij tempore hoc pulchrum ἀξίωμα & fastiginm Electorum constitutum esse, ac ferè eodem tempore inchoatam esse formam Regni Pannonici, & Polonici, quæ hætenus annos quingentos durauit.

Ad hanc metam periodicum iam pariter hæc regna accederent, magnas ruinas se metuere dicebat, Interdum his sermonibus & hunc ipsum versum miscebat:

Eheu quàm leuibus pereunt ingentia causis.

Sed hanc se consolationem tenere dicebat, quòd sine vlla dubitatione staret, & esse Deum, & Deum vere colligere sibi in genere humano æternam Ecclesiam, & ne ei desint hospitia, seruare eum aliquas politias, & quidem Ecclesiam Dei constantissimè adfirmabat hunc ipsum cœtum esse, in quo vox Euangelij sonat incorrupta.

Hic cum alia multa testimonia recitabat, quæ adfirmant Ecclesiam & in hac mortali vita duraturam esse vsq; ad

C iij resuscitatus

resuscitationem mortuorum, tùm vero
præcipuè delectabatur hoc breui dicto
quod extat apud Esaiam: Ego vos etiã
am in senectã & canicie gestabo. Ac
suspiciens in cœlum ardentibus votis
Deum precabatur, vt & Ecclesiam in
hac sua patria, & patriam seruaret, nec
sineret in Germania seu Turcicam seu
barbaricam vastitatem fieri.

Hæc ipsius vaticinia & vota consi-
deremus, & cum iam tot vulnera senti-
amus, & impendere magnæ rerum con-
fusiones videantur, nos quoque à Deo
mitigationem calamitatum petamus,

& nos in hac imbecilli & delira
senectã mundi gestari à filio

Dei Domino nostro IESU

SV CHRISTO assis-

duè precemur.




D I X I.



VVITEBERGAE
EXCVDEBANT HAERES
DES GEORGIIRHAV
ANNO MDLI.





VILTBURGE
EXCERPTANT HAN
DESS GOSCHEN
ANNO MDL



Pan Tu 23

ULB Halle


3

003 068 48X



56

nc





ORATIO
DE DVCE SAXONIAE
FRIDERICO ELECTORE
À D. IOHANNE TRVTENBVL
Doctore Iuris, In renunciatio-
ne gradus sex Docto-
rum Iuris;

IOHANNIS SCHNEIDEVVEIN
CHRISTOPHORI TRVTENBVL
STEPHANI CLODI
ANTONII FREVDEMAN
VLRICI SITZINGERI
ANDREAE VVOLFII

Recitata XIX. die Februarij
Anno 1551.

VVITEBERGAE.

